

ELIXIR VITÆ.

R Corticis Citri recenter derafi uncias sex,
 Summitatum Melissæ manipulos tres,
 Spiritus Vini rectificati libram unam:

In cucurbita vitrea viginti quatuor horis digere: postea aptato capitello ad siccitatem fere M. B. distilla.

In Spiritu prolecto infunde

Radiceis Acori incisi,

Angelicæ odoratæ,

Zedoariæ,

Croci,

Cinnamomi ana drachmas duas:

Per dies tres digestionem facta M. B. Spiritum elice, in quo rursus infunde, ac triduo digere

Novi Corticis Citri derafi uncias tres,

Vanillæ semunciam:

Tandem exprime, & per chartam cola.

CAPUT XVI.

DE CALCINATIS.

ÆRUGO, SIVE ÆS VIRIDE.

Æ Ris laminæ cum Vinaceis expressis stratificentur: cum per intervalla pauculo Aceto, vel Urina aspergantur. Sic maneant usque dum Æruginem contraxerint: qua cilltro abrafa iterum stratificatio fiat. Cum Æruginem omnem collegeris, Aceti Spiritu dissolve, cola, & per evaporationem sicca.

Bb 2

Ex

ÆS USTUM.

Ex citrino Sulphure, & Cupri laminis in vase figulino fiat stratum supra stratum, ita ut summum pariter, atque infimum ex Sulphure stratum sit: deinde vase inter accensos carbones collocato ignis augeatur ad Sulphuris deflagrationem. Remanens materia si facile pulverari nequeat, novo Sulphure adjecto iterum calcinetur: tum Aqua calida abluta Pulvis sicceatur.

ALUMEN USTUM.

In terreo vase tandiu calcinetur Alumen, dum totum defecbuerit, & porosum penitus, ac veluti spongiosum evaserit.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

R Antimonii Hungarici libram unam;
Nitri purificati. libras tres:

In subtilem pulverem separatim tere: tum simul permista in ollam candentem iteratis vicibus projice: cum detonuerint, ad horæ dimidium igne valido calcina: spatha ferrea materiam sæpe revolve, ut æque omnis conflagrare possit: indeque eam adhuc calidam exime: in Aquam ferventem injice: agita, & Aquam albidam in fictile vitreatum effunde: post aliam pariter calidam residuæ materiæ superadde, agita, & per inclinationem defunde, donec clara maneat, & fæces dumtaxat superfint. Aquas omnes effusas, ac turbidas per telam laxam

laxam trans mitte in vas idoneum. Brevi subsidebit Pulvis, qui sæpius fervente Aqua abluendus, dum omnino fiat insipidus. Demum supra chartam bibulam in calido loco exsiccetur, & in vitreo vase angusti orificii rite occluso asservetur.

ANTIMONII HEPAR.

R

Antimonii pulverati,

Nitri puri ana partes æquales:

Mista simul, atque ollæ ferreæ indita candente carbone *admoto detonent*: olla *frige fiat*: tum a scoriis partim subnigris, partim cineraceis Hepar separetur.

N. Hoc pulveratum Aqua calente bis terque abluatur, qua per inclinationem effusa, Pulvis siccatur. Hepati per lotiones ita præparato Croci Metallorum nomen impositum est; quo tantummodo ad conficiendum *sive Tartarum, sive Vinum Emeticum utimur.*

ANTIMONII REGULUS.

R

Antimonii Hungarici uncias sexdecim;

Tartari crudi libram unam,

Nitri puri uncias sex:

Pulverata, & commista in crucibulum candens per partes injiciantur: cum detonuerit, ignis augeatur, ut materia lique scat, & in modum Olei bulliat: tum effundatur in conum fusorium calefactum, & sebo illitum, coni latera concutiendo, ut Regulus fundum petat. Frigefacto cono Regulum a scoriis separa: in Pulverem te-

re:

re : in alio crucibulo semel , atque iterum liqua , paul-
lum Nitri addendo ; tum in conum effunde , & a scoriis
separatum Regulum serva .

ANTIMONII REGULUS MARTIALIS.

R Apicum Clavorum libram unam ,
Antimonii Hungarici triti . libram unam , & semis ,
Nitri pulverati uncias sex :

Clavorum apices in crucibulo ignescant : deinde An-
timonium injice : cum liquari materia ceperit , Ni-
trum *sensim insperge* , quo *prorsus ea liquetur* : tum
eandem *fusam* in ferreum conum calefactum , & inun-
ctum effunde . Refrigeratum Regulum a scoriis separa-
iterum tere , additaque

Antimonii pulverati . . . uncia una , vel altera ,
in crucibulo liqua . *Hisce optime liquatis paulatim adjice*

Nitri pulverati uncias quatuor :
Injecto Nitro ignis assidue urgeatur , donec Nitrum ,
& Regulus instar Aquæ fluant ; in quo statu ad horæ qua-
drantem permaneant : postea in conum effundantur ,
eoque inconcusso refrigerescant : tum Regulus a subviridi
scoria *sejungatur* , & ad usum *servetur* .

ANTIMONII CERUSSA:

Pulveratus Antimonii Regulus triplo Nitri admixtus
detonet : tum per horæ quadrantem calcinetur , abluat-
ur , & supra chartam siccetur .

ANTI-

ANTIMONII CERUSSA MARTIALIS,
VULGO SPECIFICUM STOMACHICUM.

R Reguli Antimonii Martialis . . . libram unam,
 Nitri purificati libras tres:
 In tenuissimum pulverem separatim trita, dein com-
 mista in candentem ollam ex cochleari per partes proji-
 ciantur: detonent: tum per quartam horæ partem ur-
 geatur ignis, ut materia in calcem albam redigatur. Calx
 adhuc calens in Aquam ferventem injiciatur, novaque
 Aqua calente tandiu abluatur, donec insipida sit: deni-
 que supra chartam exsiccetur.

ANTIMONII CERUSSA JOVIALIS,
VULGO ANTIHECTICUM POTERII.

R Reguli Antimonii Martialis,
 Stanni Anglici ana uncias sex,
 Nitri purgati libras tres:
 Regulus, & Stannum in crucibulo simul liquentur: po-
 stea in conum fusorium calefactum, & inunctum effun-
 dantur: frigeant: tum Regulum refrigeratum a scoriis
 separa: in tenuissimum pulverem redige, & Nitro pul-
 verato commisce. Mista in crucibulum candens pau-
 latim immitte: detonent: mox igne vehementi calci-
 nentur, donec abeant in massam cæruleam, quam ad-
 huc calidam Aqua fervente semel, & sæpius ablue, &
 sicca, uti de Antimonio diaphoretico dictum est.

CRO-

CROCUS MARTIS APERIENS CUM
SULPHURE.

R Scobis Ferri libram unam;
 Sulphuris citrini pulverati libras duas:
 Mista simul in olla terrea calcinentur, & spatha ferrea sæpe revolvantur, ut totum Sulphur deflagret: tum ferreus Pulvis subrubeus abluatur, & lævigetur.

CROCUS MARTIS ASTRINGENS.

Rubiginosam Ferri Scobem in patella terrea igni adeo vehementi committe, ut assurgens flamma eam quoquoersus attingat; ac tandiu calcina, donec rubescat: tum Aceto Vini acerrimo ablue, & in pulverem tenuissimum læviga.

MAGNESIA ALBA.

Residuus a Nitri crystallisatione Liquor in olla terrea ad siccitatem evaporet modico igne, qui postea augeatur, ut materia lique scat: tum hæc in fictile Aqua fervente semiplenum effundatur: subsidebit Pulvis albus, quem iteratis lotionibus edulcatum in calido loco siccare, postremo reverberare oportet.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER
ITA DICTUS.

R Mercurii per corium trajecti uncias duas;
 Spi-

Spiritus Nitri uncias tres :

Retortæ vitreæ indito Mercurio Spiritum Nitri sensim affunde , lenique igne arenæ digere , donec Mercurius omnino dissolutus sit : tum adjecto excipulo , atque igne per gradus adaucto ad siccitatem distilla , & ad splendentem ruborem calcina .

PLUMBUM USTUM.

R Laminarum Plumbi ,
Sulphuris Citrini pulverati . . . ana quantum vis
In olla terrea stratum supra stratum construatur : tum vehementi igne Sulphur deflagret. Ustum Plumbum , & denigratum manebit in testæ fundo , quod optime abluendum est , & lævigandum .

VITRIOLUM CALCINATUM.

Pone Vitriolum viride in olla fictili non vitreata , & supra ignem lenem detine , usque dum coeat in massam albidam , & prope cineraceam . Quod si ignem valde urgeas , rubrum induet colorem : Colcothar vocant .

N. Aqua calente infunde Colcothar : dein fervefacito : tum decanta ; idque nova Aqua affusa tandiu repete , donec ea insipida maneat . Superstitem materiam sicca , quæ Terra dulcis Vitrioli appellatur .



Cc

CA-